



**SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL**

**PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO**

Prot. N. 31858/00 CA
ROMANA

Recursus adversus decretum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 29 Novembris 2000 (prot. n. 43297/98).

(D.na A. Passoni et R.P. L. Moro - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Ioannis Pauli PP. II anno Summi Pontificatus XXV, die 28 m. Iunii a. 2003,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Mario Francisco Card. Pompedda, Praefecto, D. Simone Card. Lourdusamy et Augustino Card. Cacciavillan, et Exc.mis ac Rev.mis D.nis Iuliano Herranz, Eduardo Davino, Francisco Coccopalmerio, Thoma Georgio Doran et Xaverio Echevarría Rodríguez, Ponente,

in causa Romana, prot. n. 31858/00 C.A., *Recursus adversus decretum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 29 Novembris 2000 (prot. n. 43297/98)*, inter

recurrentes D.nam Argiam Passoni et R.P. Aloisium Moro, repraesentatos per Cl.mum Adv.tum Carolum Gullo, et

resistentem Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, repraesentatam per Cl.mam Adv.tam Martham Wegan,

interveniente Rev.mo P. Francisco Daneels, o.praem, Promotore Iustitiae, hanc tulit

SENTENTIAM DEFINITIVAM

FACTI SPECIES

1. - Fratrnitates saeculares franciscanae temporis decursu positae exstiterunt sub moderamine unius ex quattuor Ordinibus Franciscalibus, nempe Fratrum Minorum (OFM) vel Conventualium (OFMConv) vel Capuccinorum (OFMCap) vel Tertii Ordinis Regularis (TOR); de facto, ergo quattuor erant Tertii Ordines saeculares franciscani. Primi Ordines Franciscanae et TOR, socia opera per decem annos protracta, novam Regulam elaboraverunt Tertii Ordinis Saecularis, qui deinceps vocandus esset Ordo Franciscanus Saecularis (OFS). Instantibus igitur Ministris Generalibus quattuor Ordinum Franciscalium, die 24 Iunii 1978 Paulus VI hanc Regulam approbavit et confirmavit eique Apostolicae sanctionis robur adiecit. Simul autem Summus Pontifex abrogavit priorem Regulam Tertii Ordinis Franciscani Saecularis (AAS70[1978],pp. 454-455). Constitutiones a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae approbatae sunt ad sexennium, die 8 Septembris anni 1990, ac deinde ad aliud triennium. De Ordinis Franciscani Saecularis unitate actum est in Capitulis generalibus celebratis Fatimae (anno 1990) et Mexicopoli (anno

1993). Praesidatus vero, qui ad normam Constitutionum est organum executivum Consilii Internationalis totius Ordinis saecularis, curavit ex parte sua lineamenta generalia edere, mense Maio 1992, iuxta quae iter omnium fraternitatum versus unitatem facilius redderetur, intra tempus trium annorum. ut optabatur.

2. - Via autem ad hanc unitatem attingendam non fuit facilis. Ut in Italicis Fraternitatibus nationalibus nos contineamus, circa quas nunc versatur quaestio, Praesidatus Internationalis die 6 Februarii 1996 tulit "determinationem" (ita in ipsius textu vocatur), iuxta quam: «Si acconsente in via straordinaria, per le particolari difficoltà in cui è venuto a trovarsi l'OFS italiano, che ogni obbedienza celebri il proprio capitolo elettivo. ... I mandati dei Consigli da eleggere avranno la durata normale di tre anni, a decorrere dalla data della presente determinazione» (Summ. 1, p. 11). Permitterebatur ergo ut singulae "oboedientiae" italicæ, sive quattuor partes Ordinis Saecularis sub dependentia respectivi Primi Ordinis vel TOR, suum quaeque capitulum electivum celebrarent utque Consilia ita electa in munere permanerent ad triennium, computandum quidem a die latae determinationis seu a die 6 Februarii 1996. Nulla in actis constat obiectio adversus hanc determinationem ex parte eorum quorum intererat.

3. - Appropinquante die quo, iuxta praedictam determinationem, Consilia electa a munere cessare debuissent, die 10 Iunii 1998, Praesidatus Consilii Internationalis, «costata l'approssimarsi del 6 febbraio 1999, data stabilita nella propria determinazione del 6 febbraio 1996, che segna la scadenza definitiva dei Consigli Nazionali di Obbedienza e quindi del Consiglio Interobbedienziale che ne è la emanazione», necessarium iudicavit «dare all'OFS italiano uno strumento diverso che possa condurre a compimento il processo delineato [versus unionem cunctarum Fraternitatum]» (Summ. 1, p. 14). Ideo Praesidatus «nell'esercizio del suo dovere e compito di "prendere risoluzioni su eventuali problemi urgenti, relativi al maggior bene del OFS" (Const., 73.c)», die 10 Iunii 1998 **decrevit**:

«1. di nominare un Consiglio dell'OFS di Italia, composto da:

- 6 membri dalla componente OFS-OFM;*
- 4 membri dalla componente OFS-OFMCapp.;*
- 3 membri dalla componente OFS-OFMConv.;*
- 1 membro dalla componente OFS-TOR;*
- il Consigliere internazionale della Gi.Fra [Gioventù Francescana].*

Faranno parte di diritto di questo Consiglio i quattro Assistenti nazionali dell'OFS di Italia.

al Consiglio saranno attribuite, in stretta collaborazione con la Presidenza, tutte le competenze, conferite dalle Costituzioni generali ai Consigli nazionali;

[...]

3. per le Fraternità nazionali di Obbedienza, erette in ente morale nell'ordinamento giuridico dello Stato Italiano, i Consigli nazionali di Obbedienza rimangano in carica esclusivamente come Consigli di amministrazione dell'Ente, per il tempo strettamente necessario» (Summ. 1,14-16).

4. - Die 20 Iunii 1998 Consilium nationale italicum Ordinis saecularis sub assistentia Fratrum Minorum, nempe D.na Argia Passoni, Ministra nationalis, et R.P. Aloisius Moro, O.F.M., Assistens nationalis, qui posthac et recurrentes vocabuntur, decreti revocationem ab eius auctore postulaverunt, prout statuitur in can. 1734 CIC (Summ. I, p. 18). Quattuor post diebus, scilicet die 24 Iunii 1998, negativa responsio data est a D.na Emmanuela De Nunzio, Ministra Generali Tertii Ordinis Saecularis. Recurrentes ergo, die 7 Iulii 1998, nomine Consilii nationalis Ordinis Franciscani Saecularis sub assistentia Ordinis Fratrum Minorum, coram Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae recursum proposuerunt (Summ. 1, pp. 25-27). Congregatio vero de hac re notitiam dedit Ministrae generali Ordinis saecularis et quaesivit praeterea votum Conferentiae Ministrorum generalium Primi Ordinis et TOR, a qua etiam postulavit ut mediatricem operam dare conaretur ad controversiam pacifice solvendam. Die vero 31 Iulii 1998 D.na De Nunzio sua argumenta Congregationi tradidit (Summ. 1, pp. 31-39), quibus recurrentes responderunt die 7 Octobris 1998 (Summ. I, pp. 40-46).

5. - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae recurrentibus nuntiavit Conferentiam Ministrorum generalium Primi Ordinis et TOR in suo conamine prosequi ad obtinendam aequam solutionem iuxta can. 1733 § 1 CIC. Pars recurrens respondit die 1 Decembris 1998 se non acceptare huiusmodi mediationem, utcumque sine renuntiatione a recursu, nisi prius impugnatum decretum

suspenderetur (Summ. 1, p. 54). Die igitur 30 Decembris 1998, Exc.mus Congregationis Secretarius parti recurrenti nuntiavit: «Data la complessità e la delicatezza del problema che richiede non solo uno studio approfondito tramite esperti ma anche una delicata opera di mediazione per conciliare differenti punti di vista, di mentalità e di sensibilità, il lavoro dei Ministri Generali esige un congruo periodo di tempo per essere portato a termine. Questo Dicastero pertanto, anche al fine di evitare ulteriori complicazioni, invita le parti ad attendere il risultato dell'opera di mediazione affidata ai Ministri Generali, evitando nel frattempo qualsiasi ulteriore intervento sull'oggetto della controversia» (Summ. I, p. 55).

Haec autem invitatio difficulter haberi potest ut decisio affirmativa quoad postulatam decreti suspensionem, sed de facto ita intellecta est a recurrentibus. De hoc vero effectu suspensivo reapse concesso sermo fit, tamquam de re iam pridem communicata, in litteris die 8 Aprilis 1999 ab Exc.mo Secretario Congregationis ad Conferentiam Ministrorum generalium Primi Ordinis et TOR datis (Summ. 1, p. 71), sed nullibi constat eandem decisionem fuisse explicite communicatam auctori decreti et parti recurrenti. Immo vero, in memoriali ("Promemoria") Congregationi die 7 Maii 1999 tradito, Ministra generalis Ordinis Franciscani Saecularis, nempe decreti auctrix, scripsit: «benché il ricorso non fosse sospensivo...» (Summ. 1, p. 81).

6. - Interea, die 10 Martii 1999, Conferentia Ministrorum generalium haec notabat: «abbiamo attivato diverse iniziative.... La delicatezza della questione non ha consentito ancora di pervenire a degli orientamenti tali da soddisfare tutte le parti interessate. Vogliamo perciò ricercare ulteriormente ogni iniziativa per favorire una piena ricomposizione della comunione all'interno dell'OFS e di tutta la Famiglia Francescana.... abbiamo notato che in tutti è presente il desiderio dell'unità dell'OFS, anche se i tempi e le modalità della concreta realizzazione delle strutture unitarie, per il momento, creano alcune divergenze. Siamo quindi convinti che vanno tutte rispettate le differenti posizioni delle varie componenti dell'OFS italiano, sia di quelle che, accettando il Decreto [scilicet decretum a recurrentibus impugnatum] hanno già adempiuto i passi preliminari da esso previsti, sia di chi, momentaneamente, ha difficoltà ad aderire allo stesso Decreto» (Summ. 1, p. 56-57).

7. - Mediationis opera prosecuta est, sed interim Praesidatus Consilii Internationalis Ordinis Franciscani Saecularis, die 16 Martii 1999, mediante aliqua "determinatione", «accetta il suggerimento di attendere la possibilità e l'opportunità di dare esecuzione al Decreto emanato il 10 giugno 1998», simul vero ipse Praesidatus, prae oculis habita «l'avvenuta scadenza dei Consigli nazionali di obbedienza... [quae] costringe ad adottare soluzioni momentanee per colmare il vuoto di autorità che si è creato», assumpsit "in prima persona il governo della Fraternità nazionale dell'OFS in Italia e il coordinamento del suo processo di unificazione», Congressum nationalem indicens pro diebus 19-20 Iunii 1999. Quapropter, «Tenendo conto... della disponibilità verso l'unità organizzativa delle componenti assistite dall'OFMConv., OFMConv. e TOR, la Presidenza CIOFS [Consilii Internationalis OFS] procede, in data odierna, alla costituzione della Struttura nazionale unitaria dell'OFS italiano con le suddette componenti, studiando allo stesso tempo, in dialogo con la componente assistita dall'OFM, i passi utili per la sua adesione alla Struttura nazionale unitaria» (Summ. I, pp. 60-62). Recurrentes vero, die 22 Martii 1999, Congregationi pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae nuntiaverunt se non acceptare praedictam "determinationem", utpote quae, ipsorum iudicio, idem valeret ac executio impugnatam decreti diei 10 Iunii 1998 (Summ. 1, p. 65).

8. - Quaestio ulterius protracta est et sat manifeste patet quaestionis cardinem, saltem ex parte recurrentium, non solum inveniri in temporibus et modis perveniendi ad unionem, immo vero in natura ipsa unionis clare definienda. In litteris enim ad Exc.mum Congregationis Secretarium die 8 Aprilis 1999 datis, haec legimus: «si fa notare un acuto disagio che fa percepire una certa necessità ed auspicabilità di rivedere a fondo le strutture dell'OFS previste dalle Costituzioni che sono approvate ad experimentum. Esperimento di cui si chiede una proroga per individuare una configurazione diversa dell'unità e delle strutture in cui l'OFS si articola. Se non nasce da un profondo convincimento non solo della necessità ed opportunità di vivere in forma unitaria il carisma francescano partecipato dai laici, ma anche di attuare tale progetto con strutture pienamente condivise da tutte le componenti, difficilmente un organismo tanto complesso può mantenere la propria coesione» (Summ. I, pp. 71-72). Liqueat autem hanc quaestionem omnino praetergredi limites intra quos contineatur necesse est hodierna decisio H.S.T., quippe quod decernere solummodo debeat de legitimitate, annon, impugnatam decreti.

9. -- Perwentum est tandem ad decisionem Congregationis, quae quaestionem examinavit in Congressu diei 23 Iunii 2000, sed decretum latum est tantum die 29 Novembris 2000 (Summ. I, pp. 195-199). Quod decretum, post enarrationem facti speciei, haec continet in parte eius dispositiva:

«La decisione è stata di correggere il Decreto impugnato (can. 1739). pur mantenendo doverosamente l'obbligo di ricercare con ogni mezzo la unificazione prescritta dalla Regola e dalle Costituzioni, lodando tutte le componenti dell'OFS che hanno raggiunto ormai la prescritta unificazione strutturale. Per quanto riguarda la componente Ofs/Min d'Italia, si riafferma che anch'essa deve incamminarsi sinceramente verso l'unificazione, tuttavia si autorizza una propria via all'unità, al cui raggiungimento entro un anno dal presente Decreto, devono collaborare i Superiori Provinciali OFM d'Italia, tutti i Frati Minori interessati e le autorità del medesimo Ofs/Min» (ibid., p. 199).

Decem post diebus, die nempe 8 Decembris 2000, eadem Congregatio approbavit et confirmavit textum Constitutionum Ordinis Franciscani Saecularis (Summ. II, p. 1).

10. - Litteris diei 10 Decembris 2000, «a nome e per conto della Fraternità Nazionale dell'Ordine Francescano Secolare assistenza Minori», D.na Argia Passoni et R.P. Aloisius Moro, recursum apud H.S.T. exhibuerunt adversus praefatum decretum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae (Summ. II, p. 2); quem recursum confirmaverunt diebus 21 et 28 Decembris 2000, addita petitione ut impugnatum decretum suspenderetur (cfr. ibid., pp. 12 et 16), de qua tamen suspensione nulla habetur decisio ex parte H.S.T.

11. - Die 10 Ianuarii 2001 H.S.T. certiolem reddidit Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae de proposito recursum, postulans simul acta causae et monens de constitutione Patroni. Pro recurrentibus mandatum ad patrocinium exercendum collatum est Cl.mo Adv. Carolo Gullo. Congregatio vero acta transmisit et ad Advocati-Procuratoris munus designavit Cl.mam Adv. Martham Wegan.

12. - Legimus in litteris a Congregatione ad Procuratorem generalem Ordinis Fratrum Minorum die 12 Iulii 2001 datis: «Per quanto riguarda il dubbio da Lei rilevato, riguardante l'interpretazione della parte dispositiva del Decreto del Dicastero, si precisa che, con il provvedimento del 29 novembre 2000, seguendo il prescritto del can. 1739 del Codice, è stato confermato il Decreto della Ministro Generale in tutto ciò che riguarda la questione irrinunciabile della unificazione dell'OFS in Italia. La modifica o correzione introdotta dal Decreto del Dicastero nei confronti del Decreto impugnato, consiste nel concedere l'improrogabile termine di un anno per il raggiungimento dell'unificazione, seguendo "una propria via all'unità"» (Summ. II, p. 66).

13. - Acceptis igitur memorialibus sive pro recurrentibus sive pro publica Administratione atque exarato pro rei veritate voto Rev.mi Promotoris Iustitiae, H.S.T. Congressus, die 28 Februarii 2002, decrevit quaestionem ad Collegii disceptationem admittendam esse atque admitti (Summ. II, p. 125). Sueto igitur modo, dubium concordatum est die 14 Martii 2002 (Summ. II, p. 126). Novis ergo receptis memorialibus utriusque Patroni novoque exarato voto pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae, nostrum nunc est ad hoc propositum dubium respondere: **An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae [die] 29 novembris 2000 [latam].**

IN IURE

14. - Regula nunc vigens Ordinis Franciscani Saecularis a Paulo VI approbata est die 24 Iunii 1978. In n. 2 eiusmodi Regulae statuitur configuratio Ordinis, qui exhibetur non tantum ut confoederatio spiritus et communionis, sed ut unio organica cunctorum Fraternitatum per orbem existentium. In n. autem 20 agitur de eius conexione et coordinatione in ambitu locali, regionali, nazionali, et internationali. De assistentia spiritali ex parte Primi Ordinis et TOR normae habentur in n. 26: decernitur hac de re ut Consilia Ordinis Saecularis eandem assistentiam quaerant a Superioribus quattuor Familiarum religiosarum franciscalium, quibus Ordo Saecularis colligatus est. Colligatio ergo a Summo Pontifice statuitur non cum uno alterove

Ordine, sed cum universa Familia religiosa franciscana, cum implicita derogatione praescripti can. 702 § 1 CIC17, ubi unice praevidebatur ligamen cum aliquo concreto Ordine religioso.

15. - Constitutiones, uti notavimus, novam approbationem Congregationis obtinuerunt die 8 Decembris 2000, sed oportet nos prae oculis habere earum textum prout tempore initi litigii vigeat, licet nulla adsit differentia substantialis. Etiam in ipsis praevideatur unio organica. Insuper, iuxta art. 73,c) earundem Constitutionum, Praesidatus Internationalis est: «prendere risoluzioni su eventuali problemi urgenti, relativi al maggior bene dell'OFS e non previste dalle Costituzioni e dallo Statuto del CIOFS (Consilii Internationalis OFS), informando il Consiglio Nazionale interessato e il Capitolo Generale successivo»: hoc autem praescriptum applicandum est quoque ad decisiones operativas immediatas quibus unio ad effectum adducatur, qua de re Regula et Constitutiones ad particularia non descendunt.

16. - Prout notat Rev.mus Promotor Iustitiae, pars recurrens, seu saltem D.na Passoni, legitimatione gaudet ad agendum. Licet enim tractu temporis cessaverit mandatum omnium Consiliorum nationalium Ordinis Saecularis, ideoque et Consilii nationalis sub assistentia Fratrum Minorum, agitur de prosecutione recursus iam pridem initi, nomine quidem Ordinis Saecularis italici sub assistentia Fratrum Minorum, cui concessum fuerat tempus unius anni ad unionem peragendam.

17. - Servatus est terminus peremptorius ad recursum exhibendum coram H.S.T.

18. - Iuxta dubium concordatum, recursus versatur circa actum singularem, scilicet circa legitimitatem decisionis latae die 29 Novembris 2000 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, qua, ad normam can. 1739 CIC, corrigitur decretum Ministrae generalis Ordinis Franciscani Saecularis diei 10 Iunii 1998 (correctio autem afficit quoque "determinationem" ipsius Ministrae generalis diei 16 Martii 1999).

Prosequitur vero decisio: «pur mantenendo doverosamente l'obbligo di ricercare con ogni mezzo la unificazione prescritta dalla Regola e dalle Costituzioni, lodando tutte le componenti dell'OFS che hanno raggiunto ormai la prescritta unificazione strutturale». Confirmatur ergo obligatio quaerendi unitatem organicam, prout in Regula et Constitutionibus praevideatur, ideoque et obiectiones reiciuntur partis sub assistentia Fratrum Minorum in Italia.

Laudantur praeterea partes Ordinis Saecularis (quae scilicet conexas erant cum Fratribus Conventualibus et Capuccinis et cum Tertio Ordine Regulari), utpote quae ad unitatem iam pervenerint, nullo tamen verbo facto utrum legitimitas structurae unitariae ita exortae proveniat ex decisione Consilii Internationalis an ex actu Congregationis.

Quoad partem italicam Ordinis Saecularis sub assistentia Fratrum Minorum statuitur tandem: «si riafferma che anch'essa, deve incamminarsi sinceramente verso l'unificazione, tuttavia si autorizza una propria via all'unità, al cui raggiungimento entro un anno dal presente Decreto, devono collaborare i Superiori Provinciali OFM d'Italia, tutti i Frati Minori interessati e le autorità del medesimo OfS/Min». Ergo etiam haec pars Ordinis Saecularis Italiae quaerere debet unitatem, licet ad hoc "propriam viam" sequi possit, intra tempus quidem unius anni, cooperantibus Superioribus provincialibus Italiae ceterisque omnibus Fratribus Minoribus quorum intersit.

19. - Impugnatum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae decretum non determinavit quid faciendum et quomodo procedendum esset, casu quo pars italica Ordinis Saecularis sub assistentia Fratrum Minorum non oboedivisset seu intra annum praeceptum sibi a Congregatione datum executioni non mandavisset.

Nostra autem iuxta dubium concordatum tantum interest videre de legitimitate illius decisionis prouti exstat, non autem de quaestionibus quae in ipsa non solvuntur seu silentio praetereuntur vel de ulterioribus decisionibus vel declarationibus, si et quatenus, postea ab eodem Dicasterio ad rem datis relate ad quaestiones in impugnata decisione diei 29 Novembris 2000 non tractatas.

20. - Frustra igitur Cl.mus recurrentium Patronus in Memoriali diei 4 Octobris 2002 (p. 5) contendit decretum Ministrae generalis, die 10 Iunii 1998 latum ad providendum continuitati post cessationem Consiliorum expleto eorum mandato, statuisse solutionem Consilii nationalis Ordinis Saecularis italici sub

assistencia Fratrum Minorum necnon destitutionem Ministrae nationalis.
Impugnata enim decisio diei 29 Novembris 2000 nihil ad rem statuit.

21. - Sed neque obiectum admissi recursus coram H.S.T. esse potest asserta incongruentia Constitutionum cum iure superiore, qua de re Pontificium Consilium de Legum Textibus nihil ex parte sua decernendum esse censuit, id est non vidit rationem ob quam quaestionem pro propria competetia tractaret. Non pertinet, utcumque, ad H.S.T. de re videre, quia illa asserta incongruentia haudquaquam respicit actum administrativum singularem, de quo in art. 123 § 1, Const. Apost. *Pastor bonus*.

22. - Non requiritur, tandem, secus ac pars recurrens contendit, previa auditio eo vel minus consensus partis italicae Ordinis Saecularis sub assistentia Fratrum Minorum ut Constitutiones totius OFS executioni mandari possint.

Quoad quaestiones concretas, vero, Regula vel Constitutionibus non definitas, opportune inter eos, quorum interest, concordia quaerenda est, servatis iure servandis et salva obligatione perveniendi ad praescriptam unitatem.

QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

23. - Infrascripti Patres pro Tribunali sedentes, Christi Nomine invocato, solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondendum esse decreverunt ideoque facto respondent:

Negative, seu non constare de legis violatione, quod attinet ad recursus obiectum circumscriptum ad praeceptum collaborandi ut perficiatur in Italia unitas organica seu structuralis.

Pro expensis retineatur cautio apud arcam H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Quam sententiam iusserunt notificari omnibus quibus de iure, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 28 m. Iunii a. 2003

(Signati) Marius Franciscus Card. Pompedda, *Praefectus*

D. Simon Card. Lourdasamy

Augustinus Card. Cacciavillan

+ Iulianus Herranz

+ Eduardus Davino

+ P Franciscus Coccopalmerio

+ Thomas Georgius Doran.

+ Xaverius Echevarría Rodríguez, *Ponens*

Die 4 Februarii 2004

Notificetur

+ Velasius De Paolis, C.S.

Ep. tit. el. Thelepten., Secretarius

Vincentius Cárcel Ortí

Moderator Cancellariae